

B. M. II, 98.

S. 20, 4.

II m  
42

# SIGILLVM MAIESTATIS BRVNSVICENSE



PRAELECTIONIBVS PVBLICIS IN  
HISTORIAM VNIVERSALEM  
PRAEMISIT

**POLYCARPVS LEYSER D.**  
POESEOS PROFESSOR ORDINARIVS.

HELMAESTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYP.









DE  
SIGILLO MAIESTATIS  
BRVNSVICENSI



SIGILLA MAIESTATIS ignorare non potest, qui antiqua, inprimis Imperatorum, diplomata vidit & scrutatus est. Ipse quidem sigilla raro inscriptione quadam gaudent, quae MAIESTATIS faciat mentionem, si FRIDERICI IV. Imperatoris sigillum exceperis hac epigrapha insignitum: SIGILLVM MAIESTAT. FRIDERICI DEI GRA. ROMANORVM IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI DVCIS AVSTRIE STIRIE KARTHINTHIE ET CARNIOLE COMITISQVE TIROLIS ETC. Interim a temporibus FRIDERICI II. frequens in calce diplomatum formula occurrit: *Ad huius confirmationis memoriam & stabilem firmitatem praesens scriptum fieri iussimus, MAIESTATIS NOSTRAE SIGILLO communitum.* Ex incuria igitur potius scribae, quam ex instituto, dictum esse arbitror in RVDOLPHI I. Diplomate anno MCCLXXVI. Ecclesiae S. Simonis & Iudae Goslariensi concessio: *Quam traditionem ne ab ullo futurorum Imperatorum vel Regum irriveretur, vel aliquo hominum infringatur, praesens scriptum inpressione NOSTRAE MAIESTATIS & regulis banni auctoritate iussimus insigniri.* Vocabulum hic SIGILLI neglectum esse ex collatione reliquorum omnium Diplomatum ab hoc vel aliis Imperatoribus datorum,

SIGILLA  
MAIESTA  
TIS Im-  
peratoria.



evincitur. Quamvis enim sigilla huiusmodi nonnunquam, imo plerumque, referant Imperatores coronatos, in throno sedentes, sceptrumque & globum imperialem tenentes, hoc est ad MAIESTATEM compositos. Tamen imaginem huiusmodi MAIESTATIS eiusque IMPERATORIAE nomine condecorare & incongruum foret & a ratione scribendi illius aevi alienum adeoque exemplis destitutum. Provocat quidem *Io. Mich. HEINECCIUS*, contrariae sententiae fautor, in libro de Sigillis P. I. c. IX. §. 4. p. m. 77. ad locum Tertulliani his verbis prolatum: *Dii vero, qui magis tributarii, magis sancti; imo qui magis sancti, magis tributarii: MAIESTAS quaestuaria efficitur; ex coque evincere laborat medio aevo omnes imagines, quae sacrae quicquam maiestatis prae se terebant, MAIESTATES esse appellatas. Verum, ut infinita loca, in quibus imagines eiusmodi nullo MAIESTATIS praeconio insigniuntur, mittam urgeo solum, adducta verba huc minime quadrare. Imagines enim gentilium vere colebantur, quia in iis Maiestas aliqua divina latere credebatur, id quod de imaginibus Imperatorum cerae impressis & sigillo expressis affirmari nequit. Praeterea quis non videt, Tertullianum ironice potius & sarcastice MAIESTATIS vocabulum adhibuisse, quam ex animi sententia. Prior solutio etiam convenit loco cuidam ex Anonymo Auctore de Miraculis S. Fidis producto, hisque verbis concepto: *Erat distributa sanctorum acies in tentoriis & papilionibus in prato S. Felicis. Hunc locum praecipue S. Marii aurea MAIESTAS, & S. Amandi aequae aurea MAIESTAS & S. Saturnini Martyris aurea capsula & S. Mariae aurea imago**



*imago & S. Crucis aurea crux & S. Fidi aurea MAIESTAS decorabant.* Constat imagines sanctorum illam aevo religiosa devotione cultas esse in iisdemque aliquid divini latere fuisse creditum, id quod pariter de nostris sigillis perhiberi nequit. Quicquid interim huius fuerit, frequentia huiusmodi Diplomatum Imperatoriorum, SIGILLIS MAIESTATIS insignitorum, effecit ut singularis quaedam eorum constitueretur classis, nomine *literarum MAIESTATICARVM* eminentis.

Non solum Imperatores, sed & alii Germanici Imperii Saxonica. Principes, SIGILLVM MAIESTATIS usurparunt. Electores atque Duces Saxoniae Sigillum Maiestatis adhibuisse, ex instituto evincunt Ill. *Mich. Henr. GRIBNERI* Observationes Iuris Publici de Sigillo Maiestatis Saxonico Vitembergae A. 1712. editae, §. in primis V. & sequentes. FRIDERICVS scilicet II. Saxoniae Elector tabulis Civitati Freybergensi A. MCCCCXLIV. datis hunc colophonem imponit: *Des zu ewiger Bekäntniß haben wir Hertzog Friedrich VNSER MAIESTAET INSIGEL an diesen Brieff lassen hangen.* Eidem Electori in privilegiis condendis solennem fuisse clausulam: *Dessen zu Orkunde haben wir VNSER GROS FÜRSTLICHES MAIESTÄT-INSIEGEL an diesen Brieff wissentlich thun hangen;* observat Autor des Europ. Her. p. I. c. III. §. I. p. 117. GVILIELMVM Saxoniae Ducem A. MCCCCLVI. non una vice eiusmodi sigillo fuisse usum fidem faciunt Autor Descriptionis Imp. Germ. apud Bechmannum Exerc. Exot. XII. §. 10. n. 10. Gattelum Cap. VII. n. 44. Thulemarium Cap. XXII. §. 32. & Müllerus in Annalibus, qui refert literas quasdam dicti Ducis *sub da-*  
to



to Weimar mit dem Fürstlichen MAIESTÄT-INSIEGEL bedruckt. ERNESTVS Elector Saxo simili sigillo signari fecit privilegium Civitati Bornensi An. MCCCCLXX. concessum, Item Ordinationem Politicam A. MCCCCLXXXII. publicatam in Corpore Saxonico ubi p. II. haec leguntur: *Vnd zu Gedächtniß, diese Vnsere Ordnung und Satzung auf Pergament schreiben, und VNSER MAIESTÄT-SIEGEL daran hängen lassen.* Idem Ernestus tabulis, quibus Civitati Vitembergensi ius nundinarum aliaque concessit, A. MCCCCLXVIII. datis, integrisque a Gribnero l. c. §. IX. exhibitis, subscribi curavit: *Zu waren unde ewigen Orkunde haben wir Hertzog Ernsts VNSER GRÖS MAIESTADT INGESIEGEL wissentlich lassen hengen an disen Briff.*

Brandenburgensia,

Electo-ribus Brandenburgensibus in recentissimis etiam temporibus SIGILLVM MAIESTATIS familiare fuit, Franciscus Irenicus in Collegio ad Burgoldensf. p. 132. verba Diplomatis recentioris ab Electore quodam Brandenburgico dati haec affert: *Desen zu Vbrkund haben wir diesen Brief mit VNSERM MAIESTÄT-INSIEGEL behänget.* An. MDC-LXXXVIII. Legatus Brandenburgicus literas hoc sigillo instructas, hacque formula: *Mit unserm Churfürstlichen Maiestät - Insiegel;* conspicuas exhibuit. Idem decreto Electionis Iosephi Imperatoris fuit adiunctum. v. Exc. Pfeffingerus ad Vitriarium L. I. t. 4. §. 9. lit. a. p. 65.

Brumvi-  
censia,

Praeter Saxones & Brandenburgenses alios quoque Sacri Romanni Germanici Imperii Electores & Principes sigillo eiusmodi Maiestatis usos fuisse dubium mihi non est, cum id ipsum & de comitibus qui-



quibusdam evinci possit. Qui tamen in Diplomati-  
 bus ipsis SIGILLVM suum MAIESTATICVM  
 dixerint praeter Saxones & Brandenburgenses, non  
 occurrunt, quod sciam, nisi BRVNSVICENSES  
 Serenissimi Duces. Luculentum huius rei occurrit  
 exemplum in Diplomate HENRICI Senioris Ducis  
 anno MDI. scripto hisque in fine verbis concepto:  
*Vnd beben des Iho Vrkunde VNSE FÜRSTLICHE*  
*MAIESTETEN - INGESEGELL an diesen Brev*  
*wittlicken doien hengen.* Exhibentur hae tabulae in-  
 tegrae in Lünigii Reichs-Archiv P. Sp. Sect. IV. post  
 n. 68. p. 177. Quin plura prostant SIGILLI MA-  
 IESTATICI BRVNSVICENSIS mentionem  
 facientia documenta mihi nullum est dubium. Sal-  
 tim ipsa Sigilla frequentissime occurrunt in Tabula-  
 riis, quae literis Serenissimorum Ducum BRVNSVI-  
 CENSIVM refertae sunt & exornatae. Scopus &  
 huius scriptionis ratio non permittunt, ut documenta  
 omnia & sigilla, quae vel mihi soli obtigerunt, addu-  
 cam. Ne tamen prorsus inanem hunc campum re-  
 linquerem, in ipsa Dissertationis huius fronte SIGIL-  
 LVM eiusmodi IOHANNIS Ducis BRVNSVICEN-  
 SIS, quod MAIESTATICVM est, exhibeo. Plu-  
 ra cum documentis ipsis alio tempore aliaque occasi-  
 one videbuntur expressa.

Restat ut de natura & usu horum maiestatis sigil-  
 lorum disquiramus. Non unius fuisse ea eiusdemque  
 generis, diversae eorum appellationes demonstrant.  
 Sigilla Imperatorum Maiestatica, iisque addita verba,  
 Imperatorum, Sigilla Electorum & Ducum vero Sigil-  
 lorum, Maiestatem Magnitudinem & Eminentiam de-  
 notant. Evincitur hoc ex verbis Diplomatum Impera-  
 ria-

Sigillorum  
 Maiestati-  
 corum dif-  
 ferentia.



rialium, & Electoralio-Ducalium diversis. Illa enim sonant: MAIESTATIS NOSTRAE SIGILLVM; haec NOSTRVM MAIESTATIS SIGILLVM. In locis enim a nobis superius adductis semper dicitur: VN SER MAIESTET-INSIGEL; Indicio manifestissimo Maiestatis vocabulum & notam non ad scribentis, sed ad sigilli naturam pertinere.

Aliqua dicta a magnitudine.

Itaque stat sententia, sigilla ita dicta Maiestatica Electorum, Ducum & aliorum, denominationem suam fortiri a Sigillorum Magnitudine & amplitudine. Non enim solum saepissime in diplomatibus Maiorum sigillorum mentio occurrit, sed eadem quoque sigilla quae nunc in his chartis Maiestatica audiunt, in aliis vel Maiora dicuntur vel nullis eiusmodi appellationibus insigniuntur. Reiicit hanc sententiam Illustr. Gribnerus l. c. §. XVI. scribens: *Neuquam ex iis colligere fas est, quascunque ampliores bullas Maiestatis sigilla dici posse, aut Maiestatis sigilla ducum nostrorum amplioris tantum formae causa ita dicta fuisse.* At vero si consideraverimus Maiestatis vocabulum arctissime semper in Ducalibus Diplomatibus, sigilli vocabulo annecti, rectius arguitur, residere maiestatis denominationem in sigillo potius quam in sigillante. Huic fundamento si promiscuam MAIESTATIS & MAIORIS sigilli in diplomatibus usurpationem addideris, non erit magnopere, quod obstare valeat. Imo interpretem vocabuli Maiestatis, eiusque significationis, habemus luculentissimum Protocollum Publicum in Comitibus Ratisbonensibus confectum, ex quo sequentia refert Exc. Pfefingerus l. c. *Cum anno 1688. Idem Elector Legationem suam ad Comitibus Ratisbonensia ablegaret, cum plenipotencia, bulla maiori roborata, adiecta formula: Mit unserm Churfürst-*



fürstlichem MAIESTET-INSIEGEL; Elector Moguntinus noluit Plenipotentiam admittere, wie aber Brandenburgensēs dem Chur Maintzischen Directorio repraesentirt haben, daß dieses Formular zu schreiben, bey solchen GROSSEN INSIEGEL, in der Chur Brandenburgischen Cantzley zu gebrauchen, iedesmahl wäre üblich gewesen, hatte es Moguntinus dabey bewenden lassen. Quodsi Maiestatis Sigillum nota Electoralis Maiestatis fuisset, nullum est dubium, quin Electoris Brandenburgensis Legatus illam explicationem urfisset. Hic vero cum non nisi de magnitudine intellectum velit, non est quod aliam interpretationem fingamus. Quilibet enim verborum suorum, adeoque & qui utitur sigillis Maiestaticis horum sigillorum, optimus est interpretes. Aliud Publicum Protocollum alio tempore, anno scilicet MDCXC. occasione Electionis Regis Romanorum, conscriptum memorat Decreto huius electionis appendisse *Von wegen Chur-Brandenburg das GROSSE SO GENANTE MAIESTÄTS-INSIEGEL.* Quid clarius ex his verbis, quam Maiestatica Sigilla dici a magnitudine & amplitudine?

Scilicet non solum hodie sed & olim Principes diversae magnitudinis adhibuerunt sigilla. Illa SIGILLA strictiori vocabulo, haec SECRETA dicebantur. Vtrisque nonnunquam utebantur ita ut literis suis coniunctim adderent. Ad ipsos etiam Comites haec observatio se extendit. Oculis meis usurpavi aliquando Diploma ob varias causas valde memorabile, datum A. MCXLIII. auctore Henrico Advocato Comite de Vinstrot & Domino in Plawen. In eo unius eiusdemque Comitum duo conspiciuntur sigilla maius & minus, quorum praeterea utrumque maiori & minori contrafigillo quodam, ut ita loquar, in tergo est instructum. Sigilla a tergo seu se-

Sigillorum  
& Secretorum  
diversitas.



cundaria inscriptionibus pro more carent. Reliqua vero bina eaque primaria sigilla, SIGILLI proprie ita dicendi & SECRETI naturam probe distingunt. Maius enim & superius positum hac gaudet epigraphe: Sigillum HEINRICI ADVOCATI DE PLAWE. Alterum idque minus & inferiori loco conspicuum sigillum haec verba habet inscripta: DE PLAWE SECRETVM, HEN. SENIORIS. Nolo quae de Secretorum sigillorum natura Heineccius l. c. §. V. habet exscribere sed Lectorem eo ablegatum cupio. Sufficiat hic monuisse, diversam illam sigillorum magnitudinem procul dubio hyperbolicam loquendi rationem induxisse, sigillisque Principum Maiestaticis nomen & originem dedisse.

Maiestatica sigilla praerogativam non indicant,

Non possum igitur facere cum iis qui vel cum Thulemario de Octo-Vir. Cap. XIX. §. 32. ad praerogativas Electorum solorum ius sigillo Maiestatis utendi referunt, vel iura inde Maiestatica cum Schiltero in Diff. de Iur. Obsid. c. 2. §. 6. n. 20. eliciunt. Electores enim tantum abest ut soli sigillis Maiestaticis fuerint usi, ut potius de ducibus id constet pariter & Comitibus. Neque favet Thulemario quod in Electores crimen laesae Maiestatis committitur vi Aureae bullae cap. XXIV. Aliam enim hic loci Maiestatem quam mediatam non intelligi evincunt verba Aureae bullae: *In hoc crimine, quod ad laesum in Principibus Electoribus suis MAIESTATEM pertinet, etiam in caput domini, servi torquentur.* Colligo ex his verbis Carolum IV. indicare solum, Maiestatem Imperii vel Imperatoris laedi in Principibus suis, id est per Principes & mediate. Adeoque non prorsus reiiciendi sunt, qui ad leges Romanas in primis L. f. D. de I. & I. & l. 9. D. de Iurisd. respexisse Carolum Imperatorem existimant, quippe quae Maiestatem etiam Praetoribus vindi-



vindicant. Sane ex omnibus lineis capitis memorati in Aurea bulla apparet, Imperatorem Ius Romanum prae oculis habuisse.

Neque iuribus privilegiis & praerogativis Electorum, Principumque Imperii aliorum, quid detrahitur, quamvis iura Maiestatica ex Sigillis Maiestaticis duci non posse, aut sigilla Maiestatica ad iura Maiestatica non referenda esse contenderimus. Ut enim quae de natura horum sigillorum dixi non repetam, Schilteri sententia nullo fundamento innititur: *Etsi, ait, concedamus, legendum esse in Ord. Polit. Vnser Maiestät-Siegel (non Vnser Maiestät Siegel) hoc est, nostrum sigillum maius seu secretum Vnser Größer Insiegel, ut quidam anonymus ad istum locum monet; tamen diserte & sic diceretur sigillum Maiestaticum ein Maiestät Siegel.* Igitur oportet ut eo utens Maiestatem sibi vindicet. Res itaque eodem reddit & forte parum profuit haec interpretatio, nisi scias, superioritatis iura sua natura esse Maiestatica, abstineri tamen plerumque ab isto nomine, quod tamen & ipsum raro usitatum reperias. Supponit Schilterus, quod probandum erat, nec unquam probari poterit, Maiestatis vocabulum iura maiestatica semper indicare, quod falsum esse evicimus. Superioritatis iura respectu subditorum & aequalium esse Maiestatica largior, in nexu autem Imperii & Imperatoris respectu superioritas territorialis iura Maiestatica non involvit. Haberemus alioqui & Comitum, Baronum, Nobilium & Civitatum iura Maiestatica, quod incongruum foret dicere. Non possum ergo non subscribere iis quae Per Illustri de LVDEWIG habet in Germania Principe pag. 180. seq. *Verae Politicae*, monet, *historiae ac iurium publicorum rationes turbare omnes eos existimo, qui inde vel Saxoni, vel Electoribus vel ordinibus Imperii universim Maiestatis iura adscribere*

Iura Maiestatica ex Sigillis Maiestaticis non probantur.



HK 11 m 42

x 337 9268

12 DE SIGILLO MAIESTAT. BRVNSVIC.

volunt. Quo dogmate rerum gnaris vix aliquid videri potest absurdus. Est tantum non omnis superioritas territorialis feudalis, & ex Imperatoris infeudatione originem cepit. Non possunt ergo Statibus Imperii quatuordecim iura Maiestatica absolute ita dicendo tribui. Itaque non est cur cum Ill. Gribnero Schilterum sequamur. Maiestas enim ita dicta analogica, ex superioritate territoriali ducenda, nulla est, verum de Maiestatae conceptum prorsus tollens. Hinc ipse Gribnerus certum quid p. 19. definire de sigillo Maiestatis, velut designandae territorialis potestatis causa non audeat, faterique cogitur, solam sigilli huius appellationem ad asserenda Maiestatis iura non sufficere.

Plura nunc hac de re commentari scopus, ad quem haec Prolusio ducit, prohibet. Sufficiat publice depraedicasse SERENISSIMORVM huius ALMAE IVLIAE NVTRITORVM in primis MAGNIFICENTISSIMI nostri DIRECTORIS erga me benignitatem, qua ex nupero Celeberrimi HAHNII discessu vacantes Praelectiones Historicas Publicas mihi CLEMENTISSIME iniungendas esse existimarunt. Meum erit Voluntati huic Gratiouissimae facere pro viribus satis, in quem finem Vos, COMMILITONES PRAESTANTISSIMI, ad audiendam Historiam Vniuersalem officiose invito. Tabulae Henrici MASCAMPII Chronologicae methodum dabunt tenendam & ordinem a nobis observandum. Horam huic eleganti & hodie in primis deamato, nec satis deamando, studio dicavi matutinam octavam, donec commodiorem & aptiorem occasio suppeditaverit & tempus. Initium Praelectionum facturus sum crastino Lunae die, mensis Quintilis quarto. Scripsi d. II. Iunii MDCCXXV.



M





II m  
42

Vs. M. II, 98.  
h. 20, 4.

# SIGILLVM MAIESTATIS BRVNSVICENSE



PRAELECTIONIBVS PVBLICIS IN  
HISTORIAM VNIVERSALEM  
PRAEMISIT

**POLYCARPVVS LEYSER D.**  
POESES PROFESSOR ORDINARIVS.

HELMAESTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYP.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches